



CHORI MUSICI
PRO LUDIS AUTUMNALIBUS
DILINGÆ MDCCCLIV.

PROLOGUS.

Dum Creta pro Rege sibi reddito grates agere parat, tri-
stissimo terretur nuntio.

PERSONÆ. *Creta. Umbra Minois. Comites Crete.*

Creta. Jam Creta suum tenet Regem ingenti gaudio,
Et Rex brevi recipiet Natum incolumem majori jubilo.
C. quantis paternum pectus innatabit deliciis,
Quantis solatis!

ARIA.

I.

Non ita Gallina deperditas proles
Dum invenit, sibi gratatur,
Se denuo matrem latetur,
Et gestit, & pipit, & recreat se:

2.

Post multos ut Natum emeritos soles
Dum recipit Pater, amabit,
O Nata dilecte! clamabit:
Te Teneo, stringo, dissuavio te.
Jam video Patrem, in filii pectus ruentem,
Video Natum paterno in sinu harentem.
Agite ergo, dilecti socii!
Fideles subditi!
Pro tantis favoribus nos gratos sistamus,
Meritos Diis honores offeramus.

X

Chorus



Chorus Cretensium.
Cretenses plaudite,
Et Diis tam piis
Grates persolvite :
Quorum à munere,
Et Creta Regem redditum,
Et Pater tenet filium
Jusundo scenore.

Creta. Sed quis tumultus nostra turbat gaudia ?
Terra incipit sub pedibus tremere,
Tristes singultus edere.
Heu omina pessima ! - -
Et quid monstri hic video ? - fugio.

Umbra Minois. Sistite : sum Minos, Rex olim vester, non me timete.
Timete fata aspera ;
Inhibete vestra gaudia :
Fata, inquam, timete, pavete, lugete.

ARIA.


I.

Non raro Croceis
Se pingit radis
Confurgens aurora, & ridet amœnes ;
Mox illa facies scenæ :
Ccelum se obnubilat,
Pluit, & grandinat,
Tonat, & fulgurat.
Et gemit, & tremit.
Terrigenum mens.

2.

Sic duo sidera
Dilecta patria
In patre, & Nato dum videt oriri,
Et incipit sibi blandiri :
Mox occasum flebilem,
Mortem terribilem,
Fugam & lugubrem
Videbit, deflebit
Cretensium gens.

Abite jam, & plangite,
Aut si potestis, durissima fata fletite.
Creta. Heu me ! ubi sum ?
Vix traho spiritum :



Ergo iratus Polus ostendit patr̄e Patrem cum Nato,
Ut brevi utrumque eripiat tristiori fato?

A R I A.

Ite sanguinea
Fundi te flumina,
O mei oculi! ite, plorate.
Regem vix redditum,
Natum vix cognitum
Amitit patria.
(Fata ô! ferrea.)

Tributum flebile date, plorate.

Vota jungite jam Socii,
Tentemus, an fleti nequēant irati superit

Chorus Cretensium.

Ô Conscia
Nostrī fletūs Numina!
Ô pia Numina!
Servate Regem Patriæ,
Servate Patri Natum:
Tam grande malum pellite,
Mutate atrox fatum.

Creta. Heu! non exaudior.

Nulla præbent secunda se omnia;

Triste silent Numina.

Ah! luētu Conficior:

Ab eo, pereo.

C H O R U S I.

Amor Filiorum, & Amor Commodorum, Spiritu Pseudo-Politico Auctore, Religionis jugum abjiciunt.

PERSONÆ. *Amor Filiorum.* *Amor Commodorum.* *Spiritus Pseudo-Politicus.*
Comites Amorum.

Amor Fil. Age jam, Comes dilectissime!

Arctissimo juncti fædere

Causam nostram agamus,

Et contraria rigidam nimis Religionem à Prudentiæ humanae
Spiritu Consilium exquiramus.

Et en! video opportune advenientem.

Am. Com. O! ut invenianus nobis faventem.

Spir. Ps.-Pol. Quos hic intueor hospites?

Amor Fil. Amores tibi cernis supplices.

Sum Amor Prolium,
Peto à te Consilium.
Spir.Pseud. Ad tuum obsequium.
Meum fluet oraculum.

ARIA.

Amor Filiorum.

1.

Agnellus tenellus
Dum balat in caula,
Mater solicita
Accurrit propera,
Et clamnat:
(nam amat)
Me, sequere me.

2.

Sic Natus Amatus
Dum ludit in aula,
Parentis tenera
Torrentur viscera:
Anhelat,
Suspirat:
Te, diligo Te.

Sed infelicem me, qui sepiissime cogor cedere
Religionis Legi durissimæ,
Nec possum Filiis Consulere,
Ut vellem quam maximè.
Quod tuum hac in re Consilium?

Spir.Pseud. Percipe: erit tibi optatissimum, utilissimum.

ARIA.

3.

Amorem Prolium
Vel brutis animantibus,
Et uis, & Leonibus
Natura instillavit,
Dictavit,
Naturæ hæc provida Lex,
Parentis hæc Lex.

2.

Amorem Prolium
Religio si legibus
Constringat nimis gravibus,

Naturæ

Naturæ jura perdit,
Evertit,
Nec vera Religio est,
Tyrannis sed est.

Jam quæ tua sunt negotia?
Paucis te explica.

Amor Commod. Exdem sunt mihi querelæ justissimæ,
Gravissimæ.

Sum Amor proprius, &c durissimis premor Religionis Legibus.
A R I A.

Si Aureus Thronus ad sedem invitat,
Divitiae Cræsi si offerunt te.
Si Cypræ Matri gens dedita litat,
Si Charites blandæ alliciunt me:
Religio clamnat: hæc vetita sunt.
Damnandi amores,
Cum auro honores,
Et cunctæ, quæ amo, mox perdita sunt.

Spir. Pseud. Ridiculus es, mi parvule, attende me.

A R I E T T A.

Religio
Ad hoc est data,
Ut sit beata
Vita mortalium;
Si damna afferat,
Bona impediat,
Non est Religio,
Nec obligat.

Am. Fil. Ergo suades Religionem omnem abjicere?

Am. Com. Vis illam penitus evertere?

Spir. Pseud. Absit: non omnis abjicienda.

Am. Fil. Quæ ergo retinenda?

Spir. Pseud. Illa sit vestra Religio,
Quæ arridet vestro genio:
Quæ non est tam dura,
Nec vestra lædit jura.

Am. Fil. Bene: adoro tua Consilia,

Am. Com. Divina certe oracula.

D U E T T O.

Am. Fil. Jam Prolium: amor sit Lex. *Am. Com.* Jam Proprius amor sit Lex
Hic jura deinceps dictabit, Hic jura deinceps dictabit,

Quod proles amata rogabit,
Hoc parere jam libere dabit.
Jam Prolium Amor sit Lex.

Spir. Pseud. Prudentissime, utilissime:

Quod hominis pectus amabit,
Hoc anxius nemo negabit.
Jam Proprius amor sit Lex.

ARIOSE.

Imperium semper virebit,
In maximas spes effloreat,
Ubi Amor imperat,
Ubi amor Leges dat.

Am. Fil. Agite ergo, dilecti Socij! hoc monstrum Religionis dejicite,
Et nostram Imaginem substituite.

Sit porro nostra Religio Amor Filiorum.

Am. Com. Vos Comites Charissimi promptam operam jungite,
Sit porro nostra Religio Amor Commodorum.

Chorus Amorum.

Omnes. Pereat Religio,
Amoris Vivat Lex.

Socii Am. Fil. Vivat Amor Filiorum.

Socii Am. Com. Vivat Amor Commodorum.

Omnes. Pereat Religio,
Amoris Vivat Lex.

C H O R U S II.

Religio abjecta se vindicat, & Amores Vinclis alligat.

PERSONÆ. *Religio.* *Amor Filiorum.* *Amor Commodorum.* *Spiritus Pseudo-Politicus.* *Comites Religionis.*

Religio. Quid video? quod scelus immane Conspicio?
Religionis imaginem Cerno prostratam,
Et Ausu sacrilego, nefando, impio,
Amori Filiorum,
Amori Commodorum,
Sacram hanc sedem dicatam?
Vah scelus Atrocissimum!
Millenis rotis dignissimum.

ARIA.

Date fulmina, tela Cruenta,
Date justæ vindictæ tormenta,
Prostratam, Calcata
Ut vindicem me.
Date Vinclæ, scelestos ligabo,
Date enses, nefandos maestabo:
Victricem, Ultricem
jam sentiant me.

Ad Arma :: Ad Arma.

- Amor Filiorum.* Quis hic ad Arma temerarius provocat?
Religio. Religio, quæ se spretam vindicat.
Amor Fil. Apage jam alia est nobis Religio,
Amor Com. Quæ magis quadrat pro nostro genio.
Religio. Hinc debito vos Castigabo supplicio.
Ad arma: répeto.
Amor Fil. Ad arma.
Amor Com. Ad arma.
Religio. Adeste Socij! reos stringite.
Amor Fil. Adeste Socij! Amori succurrите.
Amor Com. Adeste socij! Amorem defendite.
Religio. Frustra estis. Vos reos tenete.
Spir. Pseudo-Pol. Vos bene valete.

ARIÖSE.

- Am. Fil.* Amice! sic nos deseris?
Spir. Pseud. Vobis Consulite.
Am. Com. Amice! siccne ausugis?
Spir. Pseud. Vobis prospicite.
Subduco me in tempore.
Relig. Jam peinas dabitis Latrunculi,
Scelesti, impij, sacrilegi.
Amor uterque. Misericordia! Misericordia!

TRIO.

I.

- Am. Fil.* Impostor ille pessimus,
Am. Com. Seductor mendacissimus,
Am. Fil. Suis Consiliis,
Am. Com. Suis Oraculis
Uterque. Decepit nos.
Religia. Quare petiistis?
Am. Fil. Hic jussit te abjecere,
Am. Com. Hic jussit te everttere,
Am. Fil. Et me pro te } Sufficere.
Am. Com. Et me pro te }
Religio. Quare id fecistis?

2.

- Am. Fil.* Promisit fausta omnia,
Am. Com. Cantavit sæcla aurea.
Religio. Quare Credidistis?
Am. Fil. Ah! parce, Proles tenera
Excæcavit me.

Am. Com. Ah! parce, mea Commoda..

Dementarunt me.

Religio. In hoc deliquistis :

Ambo periistis.

ARIA.

Religio.

1.

Quod limites Imperiis,
Quod equis fræna sunt:
Religio hoc populis,
Hoc illis Leges sunt.
Si jugum hoc excutiant,
Ut pulli onagri,
Et dignas poenas sentiant
Mortales impii.

2.

Non vetuit Relig'o:
Amate Soboles;
Si ames modo debito,
Si Serves limites.
Sit amor Legi subditus,
Et Mihi pareat,
Ameris Tu, & Filius,
Uterque floreat.

Ligatus uterque jam discat veram Religionem colere,
Nec aliam pro suo genio nefarie statuere.
Discat Religioni subesse,
Nec amplius velit præesse.

Am. Fil.

Leges tuæ, ô Religio ! sunt justissimæ.

Am. Com.

Sunt sacerrimæ.

Com. Relig.

Ergo, Socij! Pœana Canite.

CHORUS.

Religio semper florescat
Per æva omnia :
Jucundius semper virescat
Per cuncta sæcula.
Hoc ore unanimi clamant
Fideles subditi,
Hoc corde unanimi optant
Devoti populi.

O. A. M. D. D. V.

Honorem & Gloriam.

